

Victorinus, citati section. præced., illi fa-
vent. Quod vero spectat ad Concilium Fran-
coford., quidam concedunt sane, illam pro-
positionem in eo sensu quo ab Scholasticis
disputatur, et a Durando admittitur, damna-
tam esse in actis illius Concilii, prout nunc
habentur; negant tamen id sufficere ut hære-
tica censeatur, propter duo. Primo, quia non
satis constat, illud, quod nos habemus, esse
verum Concilium Francoford., quia, ut sit
certum aliquod esse verum Concilium, debet
debet constare aut Pontificia auctoritate, aut
sufficienti Ecclesiæ traditione; hætenus au-
tem nullus Pontificum nobis proposuit hoc
Concilium, quod nos habemus, continere ve-
ram et incorruptam definitionem quæ in illo
Concilio facta est, aut hanc epistolam, quam
nomine Adriani legimus, esse illam quam
Adrianus Papa decrevit, integram et incor-
ruptam. Traditio etiam nulla est insufficiens,
quia hæc acta diu latuerunt, et nuper inventa
sunt, Laurentii Surii diligentia, viri quidem
pii et docti, sed qui falli potuit, præbendo fi-
dem alicui falsæ et suppositivæ inscriptioni.
Augēt autem incertitudinem, quia (quod sa-
ne mirum est) non docet ubi hæc scripta in-
venerit, aut quibus certis signis sibi persua-
serit, nullum in eo codice, quem invenit,
fuisse mendacium aut fictionem admistam.
Accedunt etiam aliæ conjecturæ, quas infra
indicabo, ob quas multi viri docti et pii adhuc
formidant de illius codicis sinceritate ac pu-
ritate. Secundo aiunt, etiamsi certo constaret
de veritate ipsius Concilii, non sufficere ejus
auctoritatem ad notam hæresis, licet sufficiat
ad notam maximæ temeritatis, vel etiam er-
roris, quia neque est Concilium generale, sed
vel provinciale, vel certe nationale plurium
provinciarum, propter quod fortasse Paludan.
generale illud vocat, sed proprie non fuit,
quia non fuerunt ex omni Ecclesia ad illud
congregati, nec convocati Episcopi, sed tan-
tum ex Gallia, Germania et Italia, ut constat
ex historiis quas infra commemorabo. Rursus
neque constat tale Concilium fuisse a Summo
Pontifice confirmatum, sine qua confirmatio-
ne provinciale Concilium non sufficit ad cer-
tam fidem faciendam. Alii vero, etiamsi hu-
jus Concilii auctoritatem admittant, negant
id damnasse prædictam propositionem cum
illa determinatione, in eo sensu in quo Du-
rand. et Scholastici locuti sunt, sed in alio
longe diverso, quem infra tractabo.

5. *Secunda opinio.* — Secunda opinio affir-
mat, non solum illam propositionem simpli-

citer prolatam: Christus est filius adoptivus,
sed etiam cum determinatione, in quantum
homo, vel secundum humanitatem, esse hæ-
reticam, et contrariam, nimirum Christum sub
utraque ratione esse filium naturalem, esse
de fide certam. Fundamentum est, primo,
quia Concilium Francoford. utramque dam-
nat, ut in argumentis in principio propositis
visum est; est autem in illo Concilio sufficiens
auctoritas ad certam fidem faciendam, ob au-
toritatem Pontificis Adriani idem definitis,
quæ illi Concilio adjuncta est. Secundo, quia
non est major ratio de una illarum proposi-
tionum quam de alia, tum quia illa determi-
natio huic propositioni adjuncta non potest
esse conditio diminuens, designans solam hu-
manitatem, quia filiatio non est proprietas
quæ possit humanitati convenire, sed suppo-
sito tantum; ergo per illam determinationem
solum designatur natura, in qua convenit
supposito talis proprietas; propositio autem,
quæ est vera cum determinatione hoc modo
sumpta, etiam sine illa erit vera, ut patet in
hæc: Christus, in quantum homo, est filius
Virginis; recte enim sequitur, simpliciter esse
filium Virginis, quia non fit argumentum a
secundum quid ad simpliciter, sed a particu-
lari ad indefinitam. Tum etiam quia, si prior
propositio damnatur, est quia filiatio adopti-
va includit personam extraneam et alienam.
Unde, cum Christo tribuitur filiatio adoptiva,
significatur esse persona creata; sed non est
minus hæreticum attribuire Christo ut homi-
ni personam creatam, quam Christo simplici-
ter; ergo.

6. *Tertia opinio.* — Tertia sententia esse
potest, neutram ex illis propositionibus esse
simpliciter hæreticam, licet falsæ sint et im-
probabiles, tanto vero evidentius, quanto hu-
jusmodi proprietas Verbo aut Christo sine
ulla determinatione attribuitur. Fundamen-
tum hujus sententiæ sumendum est partim
ex ratione in contrarium in principio propo-
sita, partim ex fundamento primæ sententiæ,
quatenus negat Concil. Francoford. aut hoc
damnasse, aut sufficere ad certam fidem fa-
ciendam, partim ex fundamento secundæ sen-
tentiæ, quatenus probat parem esse rationem
utriusque locutionis, sine determinatione, aut
cum illa.

7. Ad decisionem hujus quæstionis, dicam
prius quid sentiendum esse censeam de sensu
erroris Elipandi. Deinde de Concilio Franco-
fordiensi aliqua præmittenda erunt. Deinde
de re proposita dicetur.

8. *Sensus erroris Elipandi.* — Circa pri-
mum advertendum est, in hujusmodi locutio-
ne posse esse errorem, vel ex pravo sensu,
erroneoque judicio circa mysterium incarna-
tionis, vel solum ex errore circa adoptionem,
quid proprie sit, quidve proprie illa voce si-
gnificetur. Prior error est proprie circa rem
ad Christianam fidem pertinentem, posterior
vero potius pertinet ad materiam civilem et
politicam, magisque spectare videtur ad igno-
rantiam significationis vocis, quam ad erro-
rem in judicio alicujus rei. Unde primus er-
ror est sine dubio longe major, quamvis se-
cundus, prout versari potest in materia fidei,
periculosus sit et cavendus, quia ex verbis
inordinate prolatis incurritur hæresis. Priori
modo errarunt Nestorius, Photinus, Arius, et
similes, qui Christum appellarunt filium adop-
tivum, eo quod existimarent aut Verbum non
esse verum Deum, aut Christum, ut homi-
nem, esse purum hominem, et non nisi
accidentaliter esse conjunctum Filio Dei na-
turali. Posteriori modo erravit Durandus, et
si qui alii Theologi senserunt Christum posse
dici filium adoptivum, quamvis sit unum et
idem suppositum divinum in natura divina
et humana subsistens, quia non existimarent
filiationem adoptivam includere negationem
filiationis naturalis in ipso supposito, sed
tantum in natura; vel certe quia non puta-
runt gratiam unionis hypostaticæ contineri
extra latitudinem seu definitionem adoptio-
nis, cum mere gratis et ex sola dilectione
communicetur illi naturæ, quæ ex se aliena
erat et extranea respectu tanti beneficii; et
ideo censuerunt illam naturam posse dici
adoptatam, et consequenter credere potue-
runt subsistentem in tali natura ut sic esse fi-
lium adoptivum, eo quod in natura adoptata
subsistat, media ejus adoptione, sicut dicitur
filius humanus vel hominis, eo quod in natura
humana subsistat, media humana concep-
tione.

9. Nonnulli ergo existimant, Elipandum,
non priori, sed tantum hoc posteriori modo
errasse. Quod colligunt primo ex verbis ip-
sius Elipandi, sumptis ex quadam ejus confes-
sione, quam reperiri dicunt in Bibliotheca
Toletana in quodam libro a Beato et Heterio
contra Elipandum scripto, in qua confessione
Elipandus fatetur, *Verbum, pro salute hu-
mani generis, Deitate exinanita, hominem fac-
tum, circumcisum, baptizatum, etc.*, quibus
verbis veram hypostaticam unionem confite-
tur. Unde inferius disertis verbis unam Chri-

sti personam fatetur dicens: *Homo interior
in una eademque Dei et hominis persona de-
glomeratus, atque carnis indumento inditus.*
Unde tandem concludit, *simul esse Dei et
hominis filium, adoptivum humanitate, et non
adoptivum divinitate*; ergo non erravit Eli-
pandus in mysterio incarnationis, sed male
tantum utendo nomine adoptionis. Secun-
do, fit hoc verisimile, tum ex his quæ legi-
mus in epistola Adriani, et toto Concilio
Francoford., ubi multa contra Elipandi er-
rorem afferuntur, non ad probandam uni-
tatem personæ Christi, sed potius ad colli-
gendum ex hac unitate, non posse adop-
tionem illi convenire. Itaque, si Elipandus
fuisset Nestorianus, facillimum fuisset illum
convincere tum antiquis definitionibus contra
Nestorium, tum Scripturæ testimoniis, quibus
demonstratur tantum esse in Christo unam
personam; at vero Concilium non ita procedit,
sed potius ex unitate personæ Christi,
quam Elipandus non negabat, et ex proprie-
tibus et vera definitione adoptionis, quas
Elipandus ignorasse videtur, colligit non posse
Christo convenire adoptionem; et ad hoc tan-
dem inconveniens deducit, quod si Christus
adoptivus censeatur, in duos filios dividendus
sit; supponit ergo Elipandum in posteriori
tantum sensu suum errorem asseruisse. Et
confirmatur, nam si Elipandus fuisset Nesto-
rianus, non tam aperte et constanter ausus
fuisset errorem suum defendere, ut ad Caro-
lum Magnum, principem valde catholicum,
et maximum Ecclesiæ defensorem, scripserit
ut Concilium congregari faceret, in quo ejus
doctrina approbaretur, ut colligitur ex Epis-
tola ejusdem Caroli ad Elipandum et alios
Episcopos Hispaniæ, quæ in eodem Concilio
Francofordiensi refertur. Cum enim in Ec-
clesia, præsertim Latina, funditus jam esset
eversus Nestorii error, quomodo a Concilio
et Episcopis Latinis sperare poterat Elipan-
dus suæ doctrinæ confirmationem, si eadem
esset cum Nestoriano errore?

10. Sed nihilominus contrariam sententiam
existimo veriorem, nimirum Elipandum non
tantum errasse in voce adoptionis, sed in re
ipsa, et mysterio incarnationis, atque adeo,
quod ad rem attinet, in errorem Nestorii in-
cidisse, quamvis verbis id non concederet,
sed fortasse negaret, vel ex ignorantia, vel
ut errorem suum tegeret. Hoc probo primo
ex antiquis auctoribus et historiis, nam Jonas
Aurelianensis, ejusdem fere temporis auctor,
in lib. 1 de Cultu imaginum, in principio, sic

ait: *Emersit ex Hispania tempore sanctæ memorie piissimi atque invictissimi Augusti quidam Felix nomine, actu infelix, Urgelitanensis civitatis Episcopus, qui, juncto suo sceleratissimo errori Eliphanto Toletanæ urbis Episcopo, secundum humanitatem non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum, prædicare ausus est; et hac virulenta doctrina uterque Hispaniam magna ex parte infecit; et infra subdit: Milites Christi invictissimis armis muniti, ejus insanam doctrinam propulsaverunt; ejusdem namque principis jussu in unum coacti, adhibita etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate, eisdem Felicem damnarunt, imo cum auctore sui erroris Nestorio, quem imitatus est, perpetuo anathemati manciparunt.* Deinde Sigebertus, in suo chronico, anno 793, sic inquit: *Feliciana hæresis condemnatur, et in præsentia Adriani Papæ ab ipso Felice auctore abdicatur. Hæc hæresis assererat, Filium Dei in divina natura verum Deum esse, in humana vero nuncupativum. Item in divina natura verum esse Filium Dei, in humana vero adoptivum, unam personam Dei et hominis dividens in duas personas, scilicet, veri Filii et adoptivi.* Quam sententiam secutus est etiam Antonin., 2 part. Hist., tit. 14, c. 1, § 6. Et Paul. Emil., lib. 2, prope finem; et Naucler., generat. 27. Similiter Gallifardus Arelat., in sua Chronographia anni 816, sub Carolo Magno dicit damnatum fuisse Elipandum in Concilio Francoford., qui personam Christi in duas dividebat. Et Prateolus, in Elencho hæres., verbo Felix, 2, eandem sententiam sequens, proprius dixit, Elipandum posuisse in Christo duas hypostases. Denique eandem sententiam secutus est Franciscus Feuardenius, in addition. ad libros Alphonsi de Castro contra hæreses, verbo Christus, hæresi 3; Sander., lib. 7 de Visib. Monarch., anno 772; ex aliis vero auctoribus, qui hujus erroris mentionem fecerunt (sunt autem illi innumeri) nullus alium sensum hujus erroris aut explicat aut insinuat, sed omnes vel simpliciter appellant Felicianam hæresim, asserentem Christum esse filium Dei adoptivum, et non proprium ac verum, vel prædicto modo eam interpretantur.

11. Secundo, hinc fit conjectura, Felicem et Elipandum non errasse abutendo tantum nomine adoptionis, aut sequendo aliquam ex his opinionibus, quas postea Scholastici ut probabiles in scholas invexerunt, et per multos annos, priusquam acta Concilii Francoford. iterum in lucem prodirent, ut probabiles

tractaverunt, vel etiam secuti sunt. Qui enim credibile est, eandem opinionem in Felice tam publice et acerbe fuisse in universa Ecclesia damnatam ut hæreticam, ipsumque Romæ coram Summo Pontifice coactum fuisse eam retractare, ut historiæ produnt, quam postea Durandus in eadem Romana Ecclesia publice tradidit et scriptis mandavit, eamque in eo damnatam non fuisse, sed ut scholasticam opinionem esse receptam?

12. Tertio, ex variis locis ejusdem Concilii Francoford. id conjectare possumus; nam imprimis Adrianus, in sua epistola, colum. 5, ei attribuit quod Christum adoptivum filium, purum hominem calamitati humanæ subjectum, doceret. Quibus verbis plane significat, Felicem asseruisse Christum eodem modo esse filium adoptivum, quo nos sumus; atque adeo purum hominem. Et in lib. Sacrosyllabo, colum. 3, sic dicitur: *Hæresim veteriosam illustrium virorum calcibus mirabiliter conculcatam, Catholicæque falce olim funditus detruncatam, spinosa moliantur redivivæ radice suscitare de stirpe.* Quod plane dicit Concilium propter Nestorianam hæresim, quam Felix suscitabat. Unde inferius, col. 8, inquit: *Non duo filii, alius Dei, alius hominis, ut, sicut illi errando aestimant, adoptivus sit hominis filius, et sine adoptione Dei Filius.* Ac denique hac ratione infra, col. 12, Felicem et Elipandum vocat, *veteriosa fœce perfidei pollutos.* Prætera, in ep. ad Episc. Hisp., co. 2, dicitur: *Invenimus in libelli vestri principio scriptum, quod vos posuistis: Confitemur et credimus Deum Dei Filium, ante omnia tempora sive initio ex Patre genitum, coæternum et consubstantialem, non adoptione, sed genere.* Item post pauca in eodem loco legebatur: *Confitemur et credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse Filium Dei, sed adoptione, non natura, sed gratia.* Et col. 4: *Quia hominem Christum verum Dei Patris Filium esse negastis, vobis defensor esse noluit; et inferius, col. 15: Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali Sancta Ecclesia refutata est etiam et damnata? et addit: Quapropter forte illum anathematizare noluitis, dum alios, Bonosum scilicet, Arium et Sabellium, Manichæumque, qui prave de Filio Dei senserunt, in epistola vestra anathematizastis.* In his enim omnibus satis insinuat, Felicem et Elipandum errasse circa veritatem ipsius mysterii incarnationis, et in Nestorianam hæresim vel aperte, vel simulate incidisse.

13. Neque enim satis est dicere, eis attribui Nestorianum errorem, non quia illum docerent, sed quia aliquid docebant, ex quo ille error sequebatur. Nam, si illi omnino faterentur unionem naturarum secundum subsistentiam unam, et solum ex abusu, vel mala intelligentia nominis adoptionis, Christo ut homini filiationem adoptivam tribuissent, non tam evidenter ex eorum doctrina error Nestorii inferretur, ut ea solum de causa illis posset attribui. Existimo ergo, Felicianam hæresim in hoc positam fuisse, quod credit Christum hominem eodem prorsus modo fuisse filium adoptivum, quo sunt alii homines justii; ita ut, quamvis in eo filiationis genere singularem habuerit excellentiam et dignitatem, non tamen transcendit illud genus adoptionis, quo nos per gratiam adoptamur, neque aliter homo ille Christus fuerit conjunctus Filio Dei naturali, quam hoc genere adoptionis. Hoc enim esse videtur, quod ex epistola Elipandi ad Carolum refertur dicta epistola Concilii Francoford. ad Episcopos Hispan., col. 5: *Ex Patre Unigenitum sine adoptione, primogenitum vero in fine temporis, verum hominem adsumendo de Virgine carnis adoptionem, Unigenitum in natura, primogenitum in adoptione et gratia;* quibus verbis plane docet, hominem illum assumptum fuisse adoptione. Quod vera illa adoptio fuerit tanquam puri hominis, et ejusdem rationis cum nostra, non obscure insinuat in epistola Concilii Francofordiensis ad præsules Hispaniæ, col. 7, ubi refertur, Elipandum in sua Epistola exposuisse illud 1 Joan. 3: *Similes ei erimus, id est, similes in carnis adoptione, non similes in divinitate.* Idem colligi potest ex illa confessione Elipandi, quæ in libro Gothico Beati et Heterii legitur, ubi sic ait: *Quia, si conformes sunt omnes Sancti huic filio secundum gratiam, et cum adoptivo adoptivi, et cum advocato advocati, et cum Christo Christi, et cum parvulo parvuli, et cum servulo servuli;* ubi plane videtur nos Christo exæquare in adoptione, imo illo tam indigno loquendi modo de Christo nihil amplius quam de puro homine sentire videtur; maxime quod ibidem ei tribuit ignorantiam his verbis: *Quem (scilicet hominem Christum) nonnulla actionis suæ mysteria nescire voluit.* Hoc autem est manifestum signum, quod de Christo ut de puro homine sentiret, juxta doctrinam Damasceni, lib. 3 de Fid., c. 21 et 22.

14. Nec me movet, quod in eadem confes-

sione videtur unam in Christo ponere personam; nam, ut recte dixit D. Thomas supra, q. 2, art. 6: *Si fiat vis in nomine personæ, etiam Nestorius utebatur unitate personæ, propter unitatem dignitatis et honoris;* unde etiam VI Synodus defuit anathema, eum qui dicit unam personam secundum dignitatem et honorem et adorationem, sicut Theodorus et Nestorius insanientes conscripserunt. Potuit ergo similiter Elipandus hac calliditate ponere unitatem personæ. Et sane illa verba, quibus utitur: *In una eademque Dei et hominis persona deglomeratus, et carnis indumento indutus,* non plus indicant quam unionem accidentalem. Quod etiam colligitur ex verbis Elipandi, quæ in dicta epist. Concilii Francoford. ad Episcopos Hispaniæ, col. 9, refertur, quibus appellabat Christum *hominem deificum et Deum humanatum;* quibus respondens Concilium, ait: *Una persona Deus et homo, non homo deificus, et humanatus Deus;* nam, licet in rigore veredicatur *Deus humanatus,* esto dici non possit *homo deificus aut deificatus,* juxta dicta supra, q. 16, tamen Concilium noluit illam locutionem admittere prout ab Elipando proferebatur, quia significabat, Deum non vere ac proprie esse hominem, sed denominatione et appellatione quadam. Quapropter non est sine animadversione prætereundum, quod sæpe in Concilio Francofordiensi et in historiis distincte refertur, Elipandum asseruisse, Christum esse filium Dei *nuncupative, non vere; adoptione, non proprietate;* sentiebat enim, illum hominem Christum vocari filium Dei solum denominatione quadam (hæc enim est vis illius vocis, *nuncupative*) quæ summi poterat ex illa deglomeratione, seu accidentali unionem; qua ratione etiam Nestorius fatebatur, Deo tribui prædicata humana, et homini divina. Unde idem Concilium Francoford., in prædicta epistola ad Episcopos Hispaniæ, non longe a fine, utriusque erroris sensum his verbis aperte explicare mihi videtur; adducit enim Cyrillum in epistola ad Eulogium dicentem: *Nestorius in suis expositionibus simulat se dicere unum Filium et unum Dominum, sed refert filiationem ad solum Dei Verbum.* Et paulo post: *Dicendo enim, quia propterea Deus Verbum Christus nominatur, quia habet copulationem ad Christum, quomodo non apertum est duos dicere Christos, si Christus ad Christum habet conjunctionem, tanquam alter ad alterum;* et addit Concilium: *Videtur enim Nestorius dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem.*

15. Ex his ergo satis responsum est ad principale fundamentum prioris sententiæ, quod in confessione ipsius Elipandi nitebatur. Quibus addendum est, hanc confessionem, quæ adducitur ex libro illo Beati, revera non esse eandem cum ea quam Elipandus misit in Epistola ad Carolum, quæ in Concilio Francofordiensi lecta est; multa enim ex illa epistola expresse referuntur in dicto Concilio, quæ in hac confessione non continentur, ut ex dictis constare potest, et latius ex ipso Concilio, ex quo constat confessionem ad Concilium missam clariorem et ampliorem fuisse, et per illam, alteram esse explicandam, et non e contrario; liquet autem ex his quæ adduximus, multa in dicto Concilio et dici et referri, quibus sufficienter indicatur, qualem adoptionem Felix Christo attribuerit, et quomodo re ipsa in errorem Nestorii inciderit. Imo etiam sæpe insinuat, Felicem dixisse, Christum prius fuisse servum natura et conditione, et postea fuisse adoptatum tali adoptione, qualis est illa, qua nos ex servis et inimicis amici efficiuntur; sic enim legitur in dicta Epistola Concilii ad Episcopos Hispaniæ, col. 15: *Adoptivus siquidem non habet aliam significationem, nisi ut Jesus Christus non sit proprius Filius Dei, neque ex Virgine ei in Filium genitus, sed nescio ex quo servo adoptatus in filietatem, ut vos dicitis.*

16. Ex quo ulterius animadverto, verum quidem videri, Elipandum et Felicem non disertis verbis fuisse professos errorem Nestorii, neque expresse nominasse duas hypostasies, aut duo supposita, vel unionem accidentalem, sed tantum usos fuisse nomine adoptionis vel nuncupationis, quam ita declarabant, ut plane in re nihil aliud quam Nestorius sentirent, quia neque eam a nostra adoptione distinguebant, nec majorem unionem inter humanitatem et Verbum agnoscebant; neque illam soli humanitati, sed cuidam homini attribuebant, quem servum et priorem tali unionem seu adoptionem esse dicebant. Atque hinc facile respondetur ad alias conjecturas: fatemur enim Elipandum non aperte fuisse professum errorem Nestorii, ideoque ausum fuisse iudicium et approbationem Concilii postulare; aut enim quid ad suum errorem consequeretur non intelligebat (quod credibile est), aut (quæ solet esse hæreticorum audacia) sperabat fore ut ea simulatione alios deciperet. Et eandem ob causam Concilium non solum usum est testimoniis et definitionibus contra Nestorium fac-

tis, ad Felicem et Elipandum confundendos, sed etiam illis declarare studuit, quomodo in re nihil aliud quam Nestorius dicerent. Negari autem non potest quin magna ex parte non aliter confutetur hic error in illo Concilio, nisi probando unitatem personæ et subsistentiæ in Christo, ut patet præcipue ex epist. ad Episc. Hisp., a col. 6. Sed hoc sententiæ nostræ nil obstat, ut magis ex sequenti puncto constabit, in quo sensum definitionis Concilii explicabimus.

17. *Auctoritas Francofordiensi synodi quanta.* — Circa secundam partem de Concilio Francofordiensi duo desiderari possunt. Unum est, auctoritas ejus quanta sit. Aliud est, quis sit sensus definitionis ejus. De Concilio autem ipso dupliciter loqui possumus. Uno modo, absolute et quasi abstracte de illo Concilio secundum se. Alio modo, prout nunc nobis proponitur in tertio tomo Conciliorum in libro et epistolis supra citatis. Primum igitur dubitari non potest quin contra Feliciana hæresim tale Concilium congregatum sit, et in eo fuerit illa hæresis damnata; de hoc enim sufficientissimam traditionem habemus, ex omnibus fere auctoribus qui de gestis Francorum aut Hispanorum, aut de universali temporum chronographia scripserunt, ut patet ex Jona Aurelianensi, lib. 1 de Cultu imaginum, qui locum, in quo Concilium celebratum est, tacuit, sicut et Paulus Æmilius, lib. 2 de Gestis Francor., ad finem. Sabellicus vero, Ænead. 8, lib. 8, solum nominat Franconiam Germaniæ regionem, nullamque mentionem facit presentis erroris in eo Concilio damna: *Damnata est* (inquiens) *Feliciana hæresis de abolendis Sanctorum imaginibus*, de quo postea dicemus. Herman., Contract., in Chron., ann. 794, solum dicit, Carolus Synodum magnam congregat. Tamen, et Concilii et loci Francofordiensi, et damnatæ hæresis de Christi adoptione meminere Ado et Sigebertus, et Abbas Uspergensis, in Chron., ann. 793; Regin., an. 794; Blond., Ænead. 2, l. 1; Platin., in Adriani vita; Anton., 2, part. Hist., tit. 14, c. 1, § 6. Aimonius, lib. 4, de gestis Francor., c. 83, et ex recentioribus quam plurimi. Ac denique ita est hoc communi consensu totius Ecclesiæ receptum, ut nec debeat nec possit in dubium revocari.

18. Deinde mihi non est dubium quin definitio in illo Concilio facta, et prout facta est, habuerit vim et auctoritatem stabiliendi certam fidem. Unde, si sufficienter constet defi-

initionem illam, legitimam, et prout ab ipso Concilio manavit, ad nos pervenisse, nobisque esse sufficienter propositam, non dubito quin obliget ad credendum de fide quod per eam definitum est, eo sensu quo est definitum. Ratio est, quia, licet illud Concilium generale non fuerit, intercessit tamen in illo Romanæ Ecclesiæ auctoritas, ut Jonas Aurelianensis superius ait, non solum per Legatos Pontificis, quos etiam Ado nominat Theophylactum et Stephanum, verum etiam per specialem ejus approbationem vel potius instructionem per decretalem epistolam, in qua errorem illum damnandum, et fidei doctrinam definiendam declaravit; imo referunt prædicti auctores, ante Concilium Francofordiense damnatum fuisse Felicem in Concilio quodam Reginensi seu Ratisponensi Provinciali, diligentia Caroli Magni, ad compescendum Felicem ex sola provincia Baviaræ brevi tempore congregatum; et ibi coactum fuisse Felicem, Romam adire, et coram Adriano Papa in Ecclesia S. Petri suam hæresim retractasse. Postea vero subsecutum est Concilium Francofordiense; nam, cum Elipandus apud Carolum instaret (quantum ex epistola Caroli ad ipsum colligi potest), ut in pleniori Concilio res discuteretur, Carolus ad majorem Ecclesiæ pacem, et ut Elipandus, et qui ei in Hispania adhæserant, facilius ad veram doctrinam fidei reducerentur, ab Adriano Papa obtinuit ut Concilium Francofordiense congregaretur, in quo Legati ejus adessent, quos verisimile est epistolam illam secum attulisse (cujus meminit idem Carolus in sua Epistola ad Episcopos Hispaniæ), in qua quid in hac re tenendum esset, declaravit; ergo, quamvis non certo constet illud Concilium post suam celebrationem ac definitionem confirmatum esse a Pontifice, tamen satis certo constat definitionem ejus fuisse conformem definitioni Pontificis, et juxta ejus intentionem ac voluntatem; et hoc satis est ut illa definitio sit sufficiens et infallibilis regula fidei, si de illa satis constet, sufficienterque nobis proposita sit.

19. Ultimo, quod attinet ad hanc definitionem, prout nunc legitur in tertio tomo Conciliorum sub titulo Concilii Francofordiensi, valde temerarium ac periculosum existimarem ab illa dissentire, et epistolam illam Adriani, et reliquas partes illius Concilii, ut supposititias, aut apocryphas vel mendosas rejicere; non possum tamen simpliciter dicere, in eis nunc esse infallibilem fidei auctori-

tatem. Hanc posteriorem partem assero propter rationes dubitandi superius positas, et præsertim quia adhuc ignoro, et apud neminem hæcenus legere potui, ex quo loco vel exemplari sumptum fuerit hoc Concilium, prout nunc nobis traditum est, ut certo mihi constare possit, in illo integram et incorruptam contineri doctrinam ac definitionem e vero Concilio Francofordiensi juxta mentem Adriani Papæ traditam. Dices, hæc ratione posse in dubium revocari omnia Concilia, etiam generalia, præsertim antiquiora, quia fortasse, prout nunc habentur, non sunt incorrupta, vel non sunt eadem quæ celebrata fuerunt. Respondetur negando sequelam; sunt enim in Conciliis multa, quæ vel in totum vel ex parte adhuc sunt incertæ auctoritatis, propter varias causas quæ nunc persequi longum esset; multa tamen etiam sunt, quæ infallibilem habent auctoritatem quoad definitiones suas, quia a principio sufficienter universæ Ecclesiæ innotuere, et perpetua traditione in ea observatæ sunt; neque a Catholicis unquam est in dubium revocatum, quin illa doctrina et definitio, quæ sub nomine talis Concilii in Ecclesia Catholica legitur, ea vere sit, quæ in tali Concilio a principio fuit tradita. At vero Concilium Francofordiense, prout suo tempore scriptum fuit, in Ecclesia latuit usque ad annum 1567, in quo opera Laurentii Surii in lucem editum est; et ideo mirum non est quod tam brevi tempore tantam sibi auctoritatem conciliare non potuerit; maxime cum non constet ubi fuerit inventum. Dices ulterius: si certissimum est Feliciana hæresim ab Adriano I et Concilio Francoford. fuisse damnatam, et in his, quæ nunc habemus, scriptis sub nomine Adriani I, et Concilii Francoford., nihil aliud continetur quam illius hæresis damnatio, quid est cur non sit æque certum, hoc, quod nunc habemus, esse verum Concilium Francoford., ac est certum tale Concilium fuisse congregatum, talemque doctrinam tradidisse? Respondetur, magnum discrimen inter hæc versari, nam, cum adhuc incertum sit qualis fuerit hæresis Feliciana, quamvis in communi constet illam fuisse damnatam in Concilio Francoford., si nullum extaret illius Concilii scriptum, æque incertum esset quæ fuerit illius Concilii definitio. Item, quia, licet in communi constet factam esse illius Concilii definitionem, tamen, si in particulari non constet hoc scriptum editum esse in illo Concilio, non tenebimur ex illo scripto colligere mentem Con-